

a suo proposito revocarent ; (1) num vero votis eventus responderit? nobis haud constat.

## §. XII.

Kessenich,

Secundum exemplum præbet Dynastia Kessenich, itidem haud procul Traiecto ad Mosam sita, quam similiter Iuliacense Feudum Circulique Westphalici partem esse perhibent non Elector tantum Palatinus, sed & Imperator atque Imperium Romano-Germanicum universum. Hisce tamen non obstantibus Belgii fœderati Ordines Generales circa Annum 1715. armata manu possessionem Dynastiæ arripuerunt. Elector Palatinus imploravit opem Con-Statum, qui autores fuere Imperatori, ut facta tectaue servaret hac in parte Iura Imperii, annuit quoque Augustissimus; (2) ignoramus tamen: an ab eo tempore in statum pristinum res reducta fuerit?

## §. XIII.

&amp; Eys.

Tertio denique prodeat Dynastia Eys, haud longe ab Aquisgrano distans atque Dynastiæ Wittem adiacens, modo Iuris Comitum Plettenbergicorum, super cuius supremo Dominio & superiori & præsentis seculo disceptatum est tum in Camera Imperii, tum inter Belgium unitum, atque possessores & Ducatus Iuliacensis & Dynastiæ Eysensis. (3)

## §. XIV.

De Belgio  
Austriaco,  
num Ger-  
maniæ

Offert se porro Belgium, haud ita pridem Hispanicum, iam Austriacum, quod, num Corporis Germanici pars sit nec ne? non adeo est expeditum, (4) ipsosque S. R. I. Status

1) *X. Fama l. c. p. 460.*2) *Conf. FABRI Europ. Staats-Canzl. Tom. 26. p. 368. 371. & 396. & Ele-  
cta Iur. publ. Tom. 8. p. 108. & 518.*3) *Dictum de hac lite in dem Plettenbergischen Staats-X. Cap. 2. §. 9. seqq.*4) *In Scripto quodam Aulæ Danicæ iussu Anno 1686. in Comitibus Ratisbonen-  
sibus publici Iuris facta Quæstio 2. ita se habet: Ob die Burgundische  
Craiß-*

Craiß-